

P R A E F A T I O.

Alterum hoc Aeschyli volumen in lucem edens, quum neque consilium, quod in priore parte secutus sum, mutaverim, neque nova accesserint editionis adjumenta, quae quidem singulari commemoratione digna sint, praefandi negotio supersedere facile possem, nisi hanc mihi non jucundam sane necessitatem imponeret vir doctus, qui prioris voluminis censuram egit in Ephemer. litter. Jen. 1824. pag. 217. seqq., Carolus Reisigius Thuringus, (ipse enim, quae est viri illustris ingenuitas, se illius censurae auctorem esse dissimulare noluit) qui quum nonnulla illic a me disputata magis minusve recte, sed paullo acerbius atque iniquius omnia, vituperaverit, de quibus in Appendice disserendi locus erit, tum in varia lectione a me collecta plura fere desiderari quam inveniri monet. Cujus criminis ut me coram lectoribus aut reum confitear, aut insontem coarguam, jure a me exigi potest. Sunt autem tria potissimum, quae